



**Philosophica disputatio inauguralis continens varias, praeter
quadruplicem ex quadruplici philosophiae parte praescriptam
materiem, in hoc philosophantium circo agitari solitas
controversias**

<https://hdl.handle.net/1874/341620>

PHILOSOPHICA DISPUTATIO
IN AVGVRALIS
CONTINENS

Varias, præter quadruplicem ex quadruplici Philosophiæ parte præscriptam materiem, in hoc Philosophantium circa agitari solitas Controversias.

Q V A M

Deo Ter. Opt. Max.

PROSPERANTE & PRÆSIDENTE

Ex Authoritate Magnifici D. Rectoris

D. PAULI VOET, J. U. ac Philosophiæ Doctoris.
Logices ac Metaphysices in Incluta Ultrajectina
Academia Professoris celeberrimi,

V T E T

*Vnanimi totius Amplissimi Senatus Academicici consensu,
Excellentissimeque Facultatis Philosophicae decreto*

Pro Summis in PHILOSOPHIA honoribus conse-
quendis placidæ omnium censuræ exponit, ac
ventilandam subjicit

JOANNES BERTLINGH.

Ad diem 24. Maii. Ann. cl̄o Ic LII. horis locoque solitis.

Ea est natura & conditio eorum, qui Liberalibus artibus dant o-
peram, ut etiam si alter alterius interdum sententiam impugnet,
non tamen idcirco odiis potius, quam ingenii inter se certare
videantur. *Clavius.*



ULTRAJECTI,

Ex Officina JOHANNIS à WAESBERGE,

ANNO cl̄o Ic LII.

F A U T O R I B U S
E T
A M I C I S.

Hoc Exercitium sacrum
est.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA
IN AVGVRALIS.

Continens

Varias ac præcipuas in cir-
co hoc Philosophico agitari
solitas Controversias.

Quum ex Celeberrime Facultatis Philosophicae Decreto
quadruplex ex quadruplici Philosophia parte tractanda
nobis proposita fuerit Materia, fas & æquum est, ad
Illijs præscriptum nos componamus, remque quantum-
fieri potest in compendium mittamus; exordium à

PNEUMATOLOGICA.

Quæstione ducentes. Animæ separatae conditionis lineamenta, ob-
stetricante ingenio (farragines citationum pagellarum carcera
haud ferunt) calami tanquam penecilli ductu angustissima hac
tabella representare stat animus.

THEISIS I.

Sed, ne (quod ajunt) Cantherius in porta;
in ipso illico limine sæveriori Catonum
cenluræ occurrendum, qui minantis di-
gitum dextræ prophanis suo judicio Phi-
losophis ostendunt, & quovis Martio rauci
æris canore, ionantiores increpat quod
in lacram Theologorum messem falcem
immittant. Verum boni isti sine populi suffragio censores,
aut non animadvertentes, aut callide dissimulantes, sub di-
A verso

verlo formali (ut barbare loquar) unum idemque objectum diversis substerni disciplinis posse, cordatoribus risum debent, si non indignationem.

II.

At exsurgit barbata Catonis cum Supercilio authoritas se ipsum à Philosophantiū risu ut vindicet. Sic autē, ne despere videatur, farier Infit: *Humanarum cogitationum naturali intellectus illustratarum lumine limites supergreditur, ipsa anima separata conditio.* *Quae qualisve ejus sit in doles, quodque separata existat ratione nulla, nulla, quam crepati, demonstratione belluli vos Philosophi demonstrare potestis.* *Quid de vita aeterna? aeterna quid de damnatione? quid de novissimo iudicio? mortuorum resurrectione vestra vobis ratio fuggerit?* *Qua tamē omnia speciatim separatum anima statū spectant.* Heus bone Vir, bona verba! cassis tute met ipse te tuo lamberes ludo. Ad verecundiam compositus Philosophus, secum qui habitat, & novit quam sit sibi curta supplex, ultiro fateri non erubet, ex lusciosæ rationis censu insolubilia demonstrationum vincula, pro absoluta à parte post animarum aeternitate, quæ adversantibus refractariis constringendis sufficiant, de promi non posse. Posse tamen animæ statum separatum post suppositi rationalis dissolutionem satis evidenti ex justissima Dei gubernatione desumpta ratione, probari, idem afferere non veretur. Lusciosæ interim rationi infallibilis ut sermo Propheticus succurrat, optat: unde fide divina, id est infallibili hanc animæ à parte post perpetuam durationem hauriat. Redit ergo jam per orbem ad pulpita Philosophica de separatæ animæ conditione quæstio. Sic tamen ut suis tantum speculationibus ea subjiciat, quæ ex rationis promptuario produci queunt.

III.

Anima hac à corpore separata, est Finitæ intelligentiæ Spiritus ultimatæ actualitate destitutus. *Spiritum* dum dicimus corporeitatem omnem removemus, in suffragium rectâ veniente ratione. *Ipsa animæ* à materia & quantitate independetia partes nostras strenue tutatur. Quæ tum ex immortalitate

talitate, tum ex varia experientia demonstrari potest. Solam
sensus & rationis pugnam ad partes vocas tufficiat, cui suc-
centuriari potest, constans ejusdem animæ persistentia in
materia omni temporis continuo puncto fluente. Ipsa sane
anima materialis si esset, sicut penitus materiæ immersa, cu-
piditatibus corporeisq; voluptatibus haudquaquam obicem
poneret, sed potius laxatis claustris, in eadem vitia prona
rueret, ac turbidas perturbationes promoveret. 2. Spiritum
intelligentiæ charactere insignitum coarcto, quod forte non
repugnet in Spirituum censem Spiritum non intelligentem
venire; licet talem, ipsa re dari non crediderim. Præstat i-
gitur hoc charactere qualicunque ratione evidentius geni-
um & indolem, (quidam item, ac formalem rationem nostra-
tes vocant) spiritualis hujus substantiæ expressisse. 3. Clari-
riori adhucdum conceptu magisque expresso, idem expri-
mo quando dico: Intelligentiæ finitæ. Hac etenim ratione
distinguo ac secerno eundem Spiritum ab aliquo quod non
est ipse, scil. D[omi]n[u]s, quo cum præcedenti confusiori confun-
debatur conceptu. Spiritus Finitatem & quoad essentiam,
& quoad ubi, & quoad durationem ex operationibus expe-
rientialia cognitis à posteriori colligimus. Finitus ergo est, de-
pendens ergo est, secundus à Primo, limitatus ab Illimitato.
Verum cum & ipsæ separatae Mentes, quæ hoc, ut & Intelli-
gentiarum specialiter titulo exornantur (quos frustra rotan-
dis orbibus Philosophorum Coryphaeus Aristoteles alliga-
vit.) Spiritus quoque finiti dependentes secundi à Primo, ac
limitati sint, nec dum hic conceptus clare & expresse satis
Mentis nostræ essentiam exprimit. Ipsam licet ab aliquo ab
omni tamen nondū distinguit. Expressiori evolutione opus,
quam sequentibus quarto complectimur: Ultimata actualitate
destitutus. Incompletus ergo Spiritus est, qui naturali & in-
nato, in corpus appetitu, tanquam ad ultimum sui comple-
mentum fertur. Ut vanæ omnino sint ac futilis otiosorum
Rhetoricationes, qui ipsam de libertatis sede in servitii hunc
carcerem, hocque corporis ergasterium detrusam, analysis

aut manumissionem anhelare nugantur. Hæc ultima sensu
suo superveniens differentialis ratio clarissimo conceptu
rem exprimit. Iplam animam ab omni eo, quod ipsa non
est, distinguit, & à DEo & ab Angelo.

IV.

Iam videmur nobis tacitos in pectore sic balbutientium
videre futuros: Ergone separationis ille status Animæ tibi
violentus est? Si violentus; nec perpetuus. Nullum vio-
lentum diuturnum. Facest ista pervicacia! violentum na-
turæ nil dicitur nisi quod naturali ipsius inclinationi, aut in-
nato appetitui omnimodo adversatur. Hocque solum illud
est, quod destructionem molitur. Ne dicamus hanc for-
mam separationis, separato hoc statu in primo ad effectum a-
ctu constitutam haud esse. Ratio, quæ pro nostra parte mi-
litat, unica distinctione, tanquam Clypeo adversantium tela
retundit. Appetitus alijs innatus elicitus alijs dicitur. Vter-
que sua proportione vel absolute vel ex suppositione.

V.

Hic autem separationis animæ status perfectionibus mul-
tis multa ab imperfectione licet redemptus, essentiiali tamen
perfectione conjunctionis statum neutquam superat. Tan-
tum quodcumq; de perfectione participat, quantum de actu;
incompleto ergo completū perfectius ut sit, necesse est. Hæc
generatim de Anima dicta sufficiant; ad examen revocanda
sunt quædam ejus hoc in statu ipsi convenientia attributa;
hæc autem ad essentiam actualem, vel ut sic consequuntur.
Vt sunt ubi & cum Duratione finita absolute, Infinita secundū
quid. Vel sequuntur actualem essentiam ut actuosam; sunt
que actiones tum internæ, tum externæ, de singulis seqq.

VI.

Anima cum aliquid sit, nulquam esse nequit. Nulquam
enim si esset, ne quidem esset. Finita tamen quia est & qui-
dem spiritus definitive in loco erit, verius in Vbi ~~per se~~. E:
nec in omni Vbi, quod totale sanioribus Philolophis dicitur,
DEoque soli competit. Nec in pluribus. Haç ratione mul-
ta;

tæ; ista infinita esset. Plures tamen animas utpote corporeæ
molis expertes uno in loco esse posse, nullus, nisi partium
studio ducatur, negare potest. Licit idem ex Thomistarum
corte & cœvea Philosophi, queis ^ro Vbi spiritualis substantiæ in
transiente operatione consistit, afferere non vereantur.
Hos, occasione spaci & localitatis ad incitas redacti moder-
ni quidam imitati fuere. Scilicet absurdis absurdâ contegen-
da sunt ne perpluant.

VII.

Vtrum ad punctum contrahere, se possit anima hoc in statu
questionis est. Affirmativa cur calculus adjiciendus non sit,
non video. Si dixeris esse in punto non posse, quod in pun-
to omni operationis actu destitueretur, tu de allio loquenti
de cœpis respondebis. Ni forte Thomistarum de ubi etate
modo relatam instantiam insanire volueris; ac consequenter
cum iisdem afferere (ne nihil summo desit delirio.) Ab ex-
tremo ad extremum in tacto medio spiritum transire posse.

VIII.

Considerata animæ in ordine ad ubi existentia, eadem
cum durationis tractu componenda eslet, ni thes. 2. hic que
faciunt sufficenter evoluta fuissent. Ad operationes E. pat-
ibus & quis procedendum, ac primo internæ ad digitos re-
vocandæ, quæ duum generum sunt: vel *Cognitionis* vel cogni-
tionem sequentis *Appetitionis*. Cum autem à potentiis tan-
quam principiis ad partes jam vocati actus dependeant, con-
cinna admodum ratione hoc sub titulo de potentiis anqui-
ritur, quænam animæ hoc in statu convenientia. Sermo est de
potentiis ad actum adæquatis. Potentias sensitivas animæ
non convenire, ex dictis, sponte sua si non fluat, deduci po-
test. Nos qui à temeraria entitatum multiplicatione abhor-
remus, licet potentias animæ superadditas nullas agno-
mus, in hanc sententiam pedibus imus. Ipsa quidem anima
ex parte sui virtualiter, cur non formaliter? ut ante sensitiva
manet, quia tamen ad elicendos actus organorum requiri-
tur apparatus, jam suo Potentia sensitiva adæquato nomine.

materialia organa materialesque dispositiones involvit, quibus pereuntibus, & ipsa, ut materialis potentia dicitur, (quod ex parte subjecti tantum consequitur) pereat necesse est, principio intrinseco effectivo manente; sic ut potentia causa, haudquaquam effectus hoc in statu Animæ dicto sensu assignari possit.

IX.

Immateriales reliquæ potentiarum cum adæquatae essentiali identificatione cū anima connexæ sint. Ipsi nulla ratione denegari poterunt; adeo ut pro re nata & cognoscitivos, & hos sequentes volitivos actus elicere possit. Specierum autem Ministerio eosdem actus absolvit, sive ex in separata post dissolutionem anima remanerint, sive postmodum ab objectis acquisitæ, sive à Deo insulæ fuerint, certum est. Deum tamen his speciebus continententer infundendis alligare nullanos cogit necessitas, specialiter in anima, quæ non in Angelis. Ecur potentiarum materiali virtutem cum objecto producendi species adscribemus, eandem spirituali denegabimus? Hinc jam sponte sua objecti ad potentiam præsentia ut necessaria conlurgit, adeo ut definita utriusque activitatis sit sphæra.

X.

De Cognoscitivarum in corpore acquisitis Potentiarum habitibus (logomachia eorum qui habitus negant non moramur.) Intelligibiles quos vocant, quæri hoc loco solet, utrum omnes aut quinā post animal in separata anima superstites maneant. Numero dicā: Non tantū illi quorum in altera vita usus esse potest. Verum & omnes reliqui, qui natura sua sublunaris hujus mundi imperfectiones non redolent; si non quoad usum, taltem quoad esse. Id quod dico probabile, haut oraculum esto. Ut autem in conjunctionis hoc statu actuum discursu ad habituum perfectiones assurgimus, ita pariter eadem procedendi methodo à notis ad ignotum discurrendo suas anima separata perfectiones assequitur, quicquid contra quibuldam viatum fucrit.

X I.

XI.

*Intimos animi recessus, soli Deo cognitos, cum penetrare anima nequeat, perfecta ejusdem status conditio hoc flagitare videtur, ut suos alteri conceptus aperire possit. Hanc conceptuum manifestationem sermocinationem *νοτίον αὐλόγιον* vocamus. De modo disputant Scholastici, præsertim ubi de Angelis agunt. Durandus Angelorum conceptum manifestationem vera sermocinacione & in aere efformata voce absolvit autumat. Alii nescio quos non ab Angelis manifestantes in celo characteres singi somnient. Thomistarum Caterva præcedentibus rejectis, in sola specierum ad alterum directione sermocinationem constituit, adeo ut Angelus Angelum, possit intelligere modo suos conceptus ad alterum, cui eos manifestare vult, dirigat. Et hinc evidentissima sumitur ratio qui alteri loqui possit Angelus, ut tamen æque ipsi propinquior ejus sermocinationem non percipiat. Scotistarum vero subtilitas in sola directione non acquiescit, sed in super impressionem propugnat. Idē quod de Angelis, de animabus separatis ad sua quicunque consequenter principia dicere debet. Ego, ad me quod attinet, hoc unum scio me quomodo sermones misceant nescire, & plurimos in ea nescientia socios, vel ipsos conjectura indulgentes Scholasticos, ve- lint nolint, habere.*

XII.

Inter operationes animæ extrinsecas, occurrit motus isq;
locals, rectius ubicalis; licet Durando, ac Mirandulano Pico immobiles animas fingere jam ante placuerit, anslā fingendi ex voce & localis forte arrepta. Motus siquidē hujus perfectio arguere videtur animabus eundem haud denegandum; motus inquā perfectio: licet ipse tam nescius non sim, quin sciam, simpliciter perfectionem motum haud dicere. In creaturis tamē motum perfectionem arguere, nemo, nisi experientia reluctari velit, negare potest. Movet autem se ab extremo ad extrellum per intermedias ubertas motu licet celeri successivo tamen, nec discreto, sed continuo.

XIII.

XIII.

Major est difficultas de Animarum circa alia à se motu, Thomistæ corpora ab Anima virtute naturali ipsi insita posse moveri negant, eo quod movere non possit corpus, nisi vivifico spiritu idem donaverit, quod in separato hoc statu locum haud invenit. Corpus autem movere non posse nisi vivifica prius virtute perfectum, confidere se posse sperant experientia ab intermortuo aliquo corporis humani membro, ad quamvis Animæ agitationem ac præsentiam, immoto persistente. Verum cum nec hæc ratio, nec illa alia ad hunc Animæ motum denegandum cogere nos possit non est, quod motum illum, quem animæ dum corpus actuat convenire experimur, eidem dum extra corpus est detrahamus.

Et Hæc impræsentiarum de hac materia pro pagellarum angustia dixisse sufficiat. Sequitur jam, alterum Thema haud minus augustum,

P H Y S I C U M

Inquam, presso pariter pede prosequamur. Questio jam olim inter priscos Philosophie consultos admodum vexata, boediernorum conflictu necdum exascitata (de Quantitatis inquam continua genio & indole) in censum venire debet. Nostrum erit, qui magistrare non didicimus, variis variorum collatis sententiis, eam, non que sine vitiis enata publicum solem asperxit (quam forsitan sperare non licet) sed que minimis urgetur gratis ulnis amplecti.

T H E S I S I.

VT Quantitas illa, quæ molis dicitur, cum rerum Materiæ imminutarum existentia individuo nexu cohæret, stultorum pariter ac doctorum Magistra teste experientia; ita Philosophorum est lyncea men-

mentis acie intima hujus tentare. Hinc præambula de distinctione Quantitatis à Materia in Scholis enata controversia est, aliis cum Nominalibus hoc invidioso jam olim nomine traductis, quantitatis omnimodam identitatem cum materiali defendantibus; aliis in alia omnia cum Thomistis ac Scotistis discedentibus. Nos, licet utramque sententiam defendi posse putemus, neutram apodictice probari; ut ad nostra consequenter philosophemur principia magnam partem Opinioni Nominalium utroque pollice favemus. Magnam dicimus partem, ne in quantitatum, pro specierum multiplicatione, multiplicationem consensisse videamur, quam prima divisione pro duplici entis materialis ratione duplicē faciunt Substantiale scil. & Accidentale. Hanc cum materialibus Accidentibus, istam cum materia identificatam afferunt. Substantiale solam nos agnoscimus.

II.

Missis aliorum sententiis formalem quantitatis rationem in *actuali impenetratione* consituimus, quam sequitur extensio & divisibilitas. Partes quia penetrationis negationem involvunt, vel negationem duarum ubicatarum partium specificæ ejusdem rationis in eodem ubi locato, partibus additæ extensionem causant, haudquaquam contra. Iuvat pro hac sententia Lojolitæ non Insubtilis Arriagæ ratiocinationem adducere, sic autem Disput. quinta Metaph. secl. 1. subl. 2. S. 14. Iple: *quia nobis innescit quantitas ex impenetratione, quam in corporibus experimur, sed non possumus essentiam ejus ponere in actuali impenetratione propter argumenta ex fide, ergo debet poni in exigentia talis impenetrationis, sicut essentiam hominum ponimus non in actuali discurso, sed in potentia ad discurrendum.* Hoc argumentum mihi militare, quotcunq; fidem sacræ litteris haudquaquam Romana perfidia metiuntur ultro fatebuntur. *neque tamen tetigisse his in hominibus placet appetitum ratiociniorum;* In Theologicis perfidiam suam ex non repugnantia stabilire gestiunt. Hic vero non repugnantiam ex sua perfidia insulse oppido circulato orbe arcessunt.

B

III.

III.

Ex dictis talis emergit definitio: Quantitas est *Substantia materialis prima per se impenetrationem habens*. Hujus juxta Stagiræ Principem tres dantur Species linea, superficies, & corpus, altera alteram ut partem haud includit. At Zenonis (sive ille Cittius & Stoicus, sive Eleates Italus Leucippi Eleatis quoque, atomorum illius molitoris & cibratoris praeceptor, ut loquitur Fromondus cap. 2. de comp. cont., fuerit sive non) vestigia qui premere gestiunt, speciem quantitatis punctum faciunt, rejecta interim triplici Philosophi divisione, quod totum integrum homogeneum specificæ disternitionis intervallo à partibus suis distare non possit. Nec vel hilum promovebit Anti-Zenonista, si ex partium unione specificam totius à partibus discrepantiam exculpere conetur. Non aliud conficiet quam quod inadæquata quadam distinctione per modum quasi incidentis & inclusi, disternentur.

IV.

Ex identificata illa Quantitatis cum materia ratione exsurgit ejusdem à materia aut corpore inseparabilitas per repugnantiam omnium maximam, quæ Metaphysica dicitur, ex hypothesi duo involventem prædicata contradictoria esse & non esse. Valeant ergo cum horrendo suo Deo panaceo Maozim Pontificii qui sine materia corpus est, corpus non corpus. Revera somnium & chymæra. In cuius gratiam Lollitarum pulpita hæc sequentia calefacere solent: 1. Num materia quantitate destituta necessario redigenda sit ad punctum. 2. Num motu impulsus moveri possit. 3. An talis homo omni scilicet quantitate & materia destitutus (id est non homo) sursum saltare possit. Sic saltat cum crustacea sua pupa per inania delirantium imaginationum spatia subtilior Pontificiorum rasa caterva. Amplius ex identificata illa Quantitatis cum materia ratione, omnis jam dudum de Quantitatis subiecto inter Philosophos agitata controversia suapte sponie tenues evanescit in auras. Nos tamen supposita quantitatis à Materia

teria distinctione, in eorum, qui hanc in materia recipi-
junt, sententiam pedibus imus.

V.

Cum Quantitatis coadunatae partes continuam per uni-
onem demum quantitatem constituant, curiosus rerum
rupsator ulterius in Vpionis hujus essentiam inquirere po-
terit; Vtrum ea in uno, utrum in utroque locata extre-
mo sit. Vtrum simplex, utrum vero duplex, dici mereatur. Ad
animam si revoceamus partibus quantitatis, mutuam repu-
gnare penetrationem, jam ilico duo sese quavis in continua
quantitate offerent extrema. Aut igitur totalis in uno tan-
tum extremo ponitur Vnus, aut in utroque totalis unica.
Aut partialis duplex. Si in uno cur potius in A, quam B, aut
contra; certe nulla, cum utriusque eadem sit ad invicem ha-
bitudo, hujus rei ratio assignari potest. Si totalis in utroque
unica, jam in duobus locis erit illaque totalibus. Consequens
ergo est juxta partium enumerationem ut duplex partialis
hic ponatur unio partim ab uno, partim ab altero se tenens
extremo. Verum est hic in novas dilabimus difficultates, &
forte unionis admittenda erit unio. Quoniam ergo nulla
hac in materia cogens occurrit necessitas que unionis quan-
titativae cum partibus penetrationem revincat satis erit im-
præsentiarum pro ulterioribus evitandis difficultatibus u-
nam indivisibilem unionem non cum utroque extremo pe-
netratam, sed inter utrumque indivisibile quasi positam, u-
trique immediatam, integrali utrumque unione connecten-
tem ponere, una suffragante ratione ex unitarum parti-
um approximationis conditione pullulante.

VI.

Declarata sic qualicunque ratione continui partium uni-
one, inquirendum amplius restat, ex quibus continuum par-
tibus componatur. Verum in ipso limine nullus est, qui pe-
nitius haec sacra rimatus exclamare non cogatur, quantum
est quod nescimus! Quot hic capita tot sententiæ. Non de tri-
vio, hoc saeculo Philosophus ultra quadragintas dissentientium

entium opiniones sibi observatas indicat. Ipse interim num
hac in controversia aliis palmam præripuerit valde dubita-
mus, tantum abest ut omne veritatis punctum attigisse no-
bis videatur. Hujus compositi quod per se unum dicimus
alii finitas, infinitas alii finxere partes. Et hi prima statim
disterminatione in duas abidere sententias. Ex Atomis infi-
nitis Epicurus. Ex proportionalibus vero partibus, syncate-
gorematice (ut loquuntur) infinitis hoc compositum inte-
grari voluit Philosophorum Princeps Aristoteles. Hujus ve-
stigiis qui insistunt necdum unius generis sunt: Aut enim
præter partes proportionales terminos indivisibilis extre-
mos & terminantes cum continuantibus seu communibus
statuunt. Et hęc Suarezii ejusque sectatorum sententia est.
Aut sola continuantia puncta, rejectis terminantibus, admit-
tunt, quos inter Hurtadus. Sunt & alii, qui nescio quam sibi
non singant simplicem entitatem ante actualem divisionem
plane indistinctam; quasi vero id quod ex se in partes seca-
bile non est, quod iis destituatur; per actualem divisionis a-
etum partes consequi, & ea ratione dividī possit. Alii parti-
um continui numerū proportionē quadam ad partes quan-
titatis discretæ finitas possibiles determinarunt. Verum ut
specie prima ingeniose ita minus dextre & vere. Puncta qui
Mathematica eaque finita statuunt, ii quidem in continuo
partes & non communicantes & communicantes propor-
tionales admittunt, verum afferunt, quod, licet in has partes
continuum dissecetur, tandem tamen deveniendum sit ad indi-
visibilia Mathematica puncta, ne constituantur corpus infinitis
actu partibus constans. Hęc Zenonis communiter dicitur.
Huic alii calculum adjacentes, quod in puncta consentirent,
vila nihilominus sibi difficultate, pro constitutione continui;
quo indivisibilia puncta divisibilia spacia occupare possent e-
adem insufflata finxerunt.

VII.

Suarezii sententiam alia ne referam, hoc argumento (si
bene memini), oppugnat Arriaga I. quoad puncta termi-
nantia.

nantia. Puncta terminantia aut cum partibus ipsis penetratae sunt, aut non, si prius; jam terminantia non dantur, nec dari ulla ratione probari potest. Probari siquidem puncta illa solent ex contactu exactissimi Sphærici tangentis planum. At penetrata si fuerint puncta cum partibus corruit demonstratio, si vero penetrata non sint, negare non poterit Suarezius, punctum parti additum facere majus, & indivisibile alicui addi posse quin penetretur, quod tamen contra Zenonistas urgeri solet. 2. Quoad puncta continuantia. Positis punctis continuantibus inter punctum & punctum est pars aut divisibilis aut indivisibilis. Si hoc jam Zenonistæ dominantur. Si illud, jam tuis contradicis hypothesisibus. cur non, si hic continuum & divisibile sine punctis agnoscis, & ceteras sine punctis continuari partes statuis? Imo ex eadem hac sententia de punctis continuantibus, quam & Hurtado tutatur præter alia, & hoc sequitur, ad illorum saltem principia, quod duæ quantitatis partes penetrantur, consequenter nec omnes penetrari repugnet. Punctum enim continuativum quod faciunt Mathematicum ponere cum utraque parte penetratum debent (ni ipsi admittere velint punctum parti vel puncto additum majus facere, quod Zenonistis negant.) consequenter & partes inter se, quæ enim cum tertio indivisibili penetratae sunt partes, inter se penetratae ut sint necesse est.

VIII.

Generali arguento omnes illæ de infinitis partibus sententiae possunt impugnari. Quandoquidem in continuo partes unione copulatae sunt, auferat unico eoque simultaneo actu omnes à continuo uniones Deus; partes, sublatis unionibus, superstites aut erunt divisibiles aut non, si hoc Zenonis stat sententia; si illud contra hypothesisin uniones omnes ablatæ non fuissent. Cavesis hypothesisin negando desperatae causæ indicia prodas; qui enim Ille, qui omnes illas uniones clarissimo actu cognoscit easque produxit, tollere non posset? Si perrexeris instare & dixeris, sublatis omnibus unionibus & quantitatem tolli; eo quod indivisibilis constitutatur

tuatur pars, principium audacter petes; quod hac in materia
frequenter oppido fieri consuevit. Necdum acquiescit sub-
tilis quorundam pervicacia, hoc se modo vindicans: *conce-
dimus quidem (inquiunt) tanta parvitas ejusque genii hae in divi-
sione corpusculum ut nullatenus dividi possit, verum quod à punto
Mathematico differat.* *Hujus enim nulla pars est neque intrinse-
ca, neque extrinseca per designationem, eadem enim sunt virtualitate
qua spectat orientem occidentis adspicit &c.* At atomus suas habet di-
mensiones suas virtualitates correspondentes spatio cum perfecta in-
divisibilitate, & quamvis figura coheretur, non ideo tamē Physicam
divisionem pati unquam poterit. Falces veritati submittito, no-
lito meris in speciem sonantibus verbis veritati illudere. pun-
cta illa quæ tu Physica vocas aut vere omnis extensionis &
intrinsecæ divisibilitatis expertes sunt, aut non, si prius jam
in Mathematica puncta consensisse videris; si posteriorius hy-
pothesi reluctaris, Deique potentia pro ingenii petulantis
audacia limites ponere non vereris. Verum pressius urgere
lubet, quando inquis: *Atomus suas habet dimensiones, suas vir-
tualitates &c. cum perfecta indivisibilitate, & quamvis figura coher-
etur, non ideo tamen Physicam divisionem pati unquam poterit.* Per
dimensiones Atomi aut intelligis intrinsecas formales parti-
um extensiones, aut saltem virtuales extrinsecas. Si prius
jam præterquam quod in hypothesis impingas, te ipsum e-
vertere videris, quando inquis Atomos suas habere dimensi-
ones cum perfecta indivisibilitate, id est atomum habere par-
tes unitas ac tamen dividi non posse, quod repugnat; omne
siquidem quod vincitum est solvi potest teste Platone. Si po-
sterius, jam in punctorum Mathematicorum defensionem cum
Zenone conspiras, quod & sequentia tua verba innuere vi-
dentur, quando illi virtualitates spatio correspondentes
assignas, eademque sui virtualitate atomum orientem, spectare ac
occidenti aspirare, dicas: Idem de Mathematico suo punto Ze-
no prædicat. Det Deus tale Mathematicum punctum (in
quo nulla nobis repugnantia, non enim chymæra est, si pri-
mum & ultimum omnis quantitatis principium) illud uno
suo

suo latere occidentem altero orientem respiciet, uno suo latere dico, non intrinseco (sic enim latera non habet) sed extrinseco. Quid si Angelus ad punctum contractus esset, an non ille, licet omnino indivisibilis orientem & occidentem respiceret. Partes ergo, quas tu indivisibiles vocas Physicas, Mathematicę nobis sunt, realiter nulla potentia divisibiles. Puncta siquidem Mathematica entia rationis non putamus. Forsitan verbis à Zenone dissentire mavis ne consensisse videaris. Tandem quando concludis : *Et quamvis figura coheretur, non ideo tamen Physicam divisionem pati posse.* Aut loqueris de figura intrinseca puncti eaque formalis, aut virtuali extrinseca per designationem tantum. Si prius, quod dextra plantas sinistra revellis, ni puncta recentiorum insufflata nobis obtrudas, à quibus abhorrete videris. 2. Quando sic loqueris de divisione Physica, aut intelligis crassam aliquam eamque sensualem divisionem. Aut præcile realem per omnem potentiam fieri possibilem ; si prius nihil dicis, nec difficultatem tangis nedum ut exhaustias. Si posterius, jam in puncta Mathematica cum Zenone conspiras.

X.

Possent & alia contra hanc continui ex syncategorematice infinitis partibus compositi compositionē adduci argumenta nobis sane insolubilia, verum ut chartæ ac Typis consulamus imprimæ sentiarū vela discursus contrahēda sunt. Defendemus interim ex hac sententia sequi, in quo vis minimo sinapeos granulo actu infinitas partes admittendas. Ac postea dividendo juxta hujus sententia placita unum sinapeos granū tot ex eodem sumere partes quibus non tantū totus hic mūdus visibilis, sed & omnia imaginaria spatia contegi possent. Id an sit admissendum judicet prudens Lector. Argumenta ex ratione entis successivi, quæ urgentia sane adversus hanc sententiam adseruntur, studio præterimus.

X.

Verum nec Zenonistæ minoribus urgeri videntur difficultatibus. Variis Demonstrationum Mathematicarum inexplicabili-

plicabilibus nodis constringi videntur. Et forte tantum
videntur. Nos in conflictu eorum solutionem tentabimus,
quæ plerumque ~~τὸ ξενίδης~~ supponere solent. Vrgent com-
muniter Anti-Zenonistæ quod indivisible indivisibili addi-
tum majus facere non possit; tum quod indivisibilia tan-
gere se nequeant, ni invicem penetrantur; tū quod indivisi-
bile indivisibili additum divisibile constituere non possit.
Verum meo iudicio, salvo meliori, parum ad rem nec ratio-
ni nec experientiæ convenienter satis. Si dicas ex non quan-
to quantum fieri non posse, verum dicis; Zenoni tamē haud-
quaquam relu&taris. At valde adjmodum paratragœdiant
Anti-Zenonistæ, dum ex hac sententia confidere se posse spe-
rant eodem tempore spacio spacium loci idem & tardigrad-
am testudinem & pernicissimam aquilam confidere. Ve-
rum boni isti herœs non animaduertunt in eodem se cum
Zenonistis luto hærere. Expediant se si possint ipsi, qui
fiat ut easdē ac omnino æquas numero partes spaciī respon-
dentes iisdem & æquis numero partibus motus tam brevi
tempore aquila, non testudo conficiat; expeditos Zenonistas
dabunt. Nos cum Arriaga Oviedone &c. ad morulas, quas
in omni motu necessarias statuimus recurrimus. Nec vere-
mur asserere in perniciissimo aquilę motu, plus quietis quam
motus dari. sive (ut inquit Oviedo) *sagittam aere tranantem*
mille duplo deineri plus quam moveatur. An id sensui commu-
ni non ē diametro repugnet dubitari poslet, nos ex ratione
motus & sensationis desumpta responsione pro negativa
stamus. Num item ex his morulis in velocissimo currus rotæ
motu ejusdem dissolutio sequatur, inquiri solet; nos, tantum
abesse ut ex his morulis dissolutio sequatur, ut ē contrario ad
continuationem necessariæ nobis videantur, dicimus. Sed, ut
ante dixi, communes hæ utrique parti sunt difficultates. Si
quis ergo ingenii sui dexteritate felicius ex his difficultatum
labyrinthis veritatem extricare potuerit, hunc funem du-
ctitatem lubenti animo sequemur.

Et

*Et hactenus de intricatissima hac controversia ea, quâ fieri
potuit brevitate, consequens est ut & dc*

M A T H E M A T I C O

*penso absolvendo cogitemus. Ne autem longiori proœmio
morer tua tempora Lettor, rem ipsam Stoicorum more
sepositis verborum quisquiliis adoriar. De Angulo con-
tactus agendum mihi est.*

T H E S I S I.

Ver in Erudito pulvere versatissimus Jacobus Pele-
tarus occasione Propositionis 16. (ipſi 15.) lib:
3. Euclid. qua Angulum contactus quovis An-
gulo rectilineo acuto minorem ostendit, in eam
devenit sententiam, hunc ut Angulum ex quantitatum
mensurabilium, id est Angulorum censu expungeret, quod
omnis eum hujusmodi quantitatis expertem censeret. Viro
si objicias defin. 8. 1. Euclid. qua Angulum planum definit
duarum linearum in plano se mutuo tangentium & non in dire-
ctum jacentium alterius ad alteram inclinationem. Eandem nisi
cum talis grano acceptandam in ipso illico commentario-
rum suorum vestibulo dicet, quatenus illa contingentia non
quamcumque sed eam tantum, quæ cum decussatione seu
intersectione conjuncta est, designat; hac in parte insignis
Mathematici Petri Rami vestigia premens.

II.

Quo autem veritas jam dudum detecta ex ipsis principiis
sponte sua efflorescat, res paulo penitus introspicienda, i-
psaque anguli essentia ac formalis ratio investiganda propo-
nitur. Ante triennium cum corollariorum quorundam oc-
casione in hanc speculationem descendissem mihique quid
Angulus esset movissem, rationibus ultro citroque agitatis
tandem in hæc verba respondi: *Dicam si possim. Ipsa crura*

C non

non sunt Angulus, sunt tamen quid Anguli, nec punctum Mathematicum in quo se contingunt crura, sed ipsum mensurabile per duo crura, quod tantum est mensurabile ratione crurum. Hæc conceptuum nostrorum evolutio evolutor ut fiat in antecessum notare convenit, non hic nos tam definire voluisse Angulum, quam Euclidea communis supposita definitione, inquirere, in quoniam præcise in tali linearum concursu Anguli ratio & essentia constituenda sit. Id si observatum fuisset, verba forte innoxia non vapulassent. 1. Autem Dico; Angulum non esse ipsa crura, (subintellige se contingentia)ratio esse potest, ratione si opus est, quod nec pro incremento nec pro decremento crurum angulus aut increbat aut decrebat. 2. esse quid anguli quatenus ad anguli constitutionem tanquam partes puta materiales concurrunt. 3. Nec punctum Mathematicum in quo se contingunt crura. Id probandum mihi non sumo; quod nihil in Mathesi notius esse possit quam angulum mensurabilem esse, suoque sensu extensum, quod punto Mathematico denegatur. Ideo 4. addo: sed ipsum mensurabile per duo crura, quod tantum est mensurabile ratione crurum, posterioris membra verba prioris magis explicant. Id quod dixi manifesta, aut oppido fallor, ratio evincit. In omni angulo consideratur mensurabilis quantitas, hinc altero alter major, minor alter, alter æqualis dicitur, & illa quantitas, Mathematicorum in fides fallat, Anguli quantitas est; at crura nō mensurantur, nec à quantitate crurum hæc æqualitatis aut inæqualitatis proportio desumitur. Nec ab ipso intersectionis punto quod Mathematicum est sibi semper simile & æquale. Quid Ergo restat? dices spatium, serione an joco agis; severe. Apage sit ista perversitas, non figuram sed Angulum consideramus. Dices: spatium illud non statuitur tanquam realis quædam superficies dupli dimensione intrinseca prædicta (sic enim figura, ut cōtendis esset) sed concipitur tanquam spatium jam magis jam minus extensum extrinsece prout crura aut magis divaricantur, aut arctius coēunt. Iam in eadem navi sumus, tuaque te explicatione in

in adversam, quam falsitatis arguere studebas, sententiam incidis. Quando dicas non spatiū reale te statuere; sed tantum concipere spatiū pro diversa crurum divaricatione diversum, spatiū imaginariū assignas; at illud non est per se mensurabile sed per aliud, per terminos scil. quibus cōtinetur; at termini illi sunt crura sed per crura ergo mēsurabile, quod tantū ratione concurrentium crurum mensurari potest. Angulus est, quod ante rejiciebas. Exlertis idem Verbis exprimis quando dicas spatiū extensum extrinsecē, idque pro ratione divaricationis erurum. Id quod hactenus adstruxi ipsa Euclidis definitio manifeste comprobat; quæ angulum per inclinationem describit, quæ inclinatio in sensu caussali accepta nostræ assertionis fulcrum esse potest.

III.

Angulum in puncto qui consistere statuit, quod Peletario tribuitur, ipse cum punctum physicum necessariò intellegere debeat, idque per antecedentia non reale sed imaginarium, etiam mecum velit nolit conspirare debet. Ex dictis colligere in proclivi est Angulum non ut qualitatem sed ut quantitatem Geometris considerari; cum ipsum nequaquam sub ratione figuræ considerent. Nisi forte alicui vīsum fuerit aliam aliquam hactenus inauditam qualitatis speciem fingere. Quæ qualisve ea sit, quo insigniatur nomine admodum scire aveo. His prælibatis ad Peletarium paulo propius accedendum.

IV.

Vir ingeniosus ex sua Anguli definitione pag. 5. proposita, qua per intersectionem eundem definit, id quod intendit probare nequit nisi crassum circulum committere velit. Hanc siquidem definitionem sic corrigendam duxit, quod angulum contactus angulum haud putaret, adeoque adæquatam suo definito definitionem, formādam arbitraretur. Occasione (ut dixi) desumpta ex 16 lib. 3. qua ostendit Euclides angulū hūc acuto quovis angulo minorē esse. Hunc autem angulum nullius quantitatis esse, adeoq; ex angulo-

rum censu expungendum se confidere posse putavit ex 1.
propos. 10. Eucl. quæ sic habet : *Duabus magnitudinibus inae-
qualibus propositis, si de majore detrahatur, plus dimidio; & rursum
de residuo iterum detrahatur plus dimidio; idque semper fiat: re-
linqueretur tandem quædam magnitudo minor altera minore ex dua-
bus propositis.* At cum juxta 16. 3. angulus contactus acuto
quovis minor sit, fieri non potest (inquit) ut angulus acutus
continua divisione fiat tandem angulus contingentia angulo
minor quod est contra 1. 10. jam ad partes vocatam, ut igi-
tur se ex hac (ut loquitur) dubitatione expedit, angulum
hunc nullo modo angulum dicendum statuit, ac consequen-
ter mirum non esse, si continua divisione angulo contingentia
acutus minor fieri nequeat, quod aliquid à nihilo ma-
gnitudine superari non possit.

V.

Verum Sophisma hoc accuratissime detexit castigatissimus
Mathematicorum Clavius commentariis in Eucl. pag. 248. o-
stendens propositionem 1. 10. de quantitatibus proportionalibus
juxta defin. 6. 5. accipiemad quæ hujus genii & indolis
sunt ut *utravis multiplicata alteram excedere possit*, loquitur au-
tem de magnitudinibus (ut inquit pag. 256.) quæ cum in eodem
quantitatis genere versentur, diversi tamen generis censi possunt,
ut sunt superficies rectilinea & curvilinea seu mixta. At cum
angulus contactus licet in infinitum multiplicaretur cuivis
angulo acuto ne quidem æqualis, nemus illo major fieri pos-
sit, analogia cessante, Theorema 1. 10. inconcussum per-
stat.

VI.

Frustra autem le defatigat Peletarius dum ostendere con-
tetur angulum hunc quantitatatem non esse; certe conatus tan-
tum est, sic autem ille : *omnis anguli quantitas augeri minuiri
potest, quod cum angulo contactus denegatum fuerit, omnes enim quo-
cunque pingantur, quovis acuto minores sunt.* E. inter se omnes æ-
quales, modo æqualitas (inquit) inter non quanta dari possit. Verum
hæc consequentia recto si talo stare posset, quid impedimen-
to

mento esset, quo minus vel quidlibet ex quolibet colligi posset. Quæ quælo consequentiæ vis quo medio ea educta. Quis non risu exciperet hominem sic argumentantem; omnes homines quotunque sumantur giganteæ molis homini maximo minores sunt, ergo omnes inter se æquales. Reliqua quæ adserit studio præterimus, ne actum agere videamur.

VII.

Iam quod angulus contactus angulus sit, quodque quantitate ipse non careat, ex ratione & essentia anguli supra th. 2. indicata ac probata evidenter exhibito schemate ad oculum ostendi potest. Construatur per 17.3. contingentia angulus. Inscrabantur autem eidem circulo infiniti prope minores sic ut in puncto contingentia omnes se tangent, dico minimum quemque circulorum maximum contactus, in illa comparatione, angulum constituere; maximum vero minimum, & reliquos pro ratione proportionis aut majorem aut minorem. Manifesta hujus rei ratio ex th. 2. desumenda est, ubi ostendimus anguli rationem consistere. In $\tau\delta$ mensurabile per duo erura in puncto se contingens, quæ mensurabilitas cum hic admodum varietur (*angulorum hic congruentia nulla*) & ipsa quantitatis ratio ut varietur necesse est. Mensurabilitatem hanc variari modo majorem, modo minorem sieri si credere nolis, in ipso conflicto exhibito schemate demonstrabimus.

VIII.

Et hoc argumentū pro hujus sententia veritate palmarium est, ad quod cætera omnia reduci sere possunt. Addit Clavius p. 245. hanc Peletarii opinionē Eucli di diametro repugnare, quod frustra in eo theoremate demonstrando desudasset si angulus hic nihil esset, cum vel ex terminis notissimum sit, nihil quoconque angulo minus esse. Verum nescio num hæc ratio, si refractarium agere vellet, Peletarium constringere possit. Per me ad hominem argumentum esto, qui primo, th. præcedente formato, tanquam immobili fulcro omnino standum autumo.

Vt autem angulus contactus, licet quovis acuto minor sit, minimae tamen quantitatis in suo genere angulus non est, per ea quae in precedentibus dicta; Ita, iisdem proportionaliter rationibus, nec semicirculi angulus, quovis licet acuto major sit, maximae quantitatis in suo genere dici potest, adeo ut hoc semper major dari possit; licet eo nunquam assurgere queat, rectus ut fiat, propter inflexam peripheriae rationem; quod evidenter ex eodem schemate vel primo obtutu manifestum esse potest. Verum ut colophonem huic discursui, omni exhausta difficultate, addam tribus adversantis effugio occurendum; dicit enim: cum linea contingens peripheriae immergatur, haud alia ratione ac si illa recta quaevis essent linea consequens est angulum extra circulum nullum esse, in circulo tantum, vel cum circulo rectum. Verum haec evasio nulla est cum sublato contactu, de quo hic dilputamus, intersectionem substituat. Ex haec tenus dictis sponte sua elucescit quam parum valida ratione, correctionis incidi Euclidea plani anguli definitio data fuerit; quamque praepostera diligentia inclinantum contactus ad decussationem, aut intersectionem restricta fuerit.

*Et hic paulisper respiramus; ut alacriori ac vegetiori animo
propositum stadium decurrentes ad metam properemus.
Agmen autem claudet controversia*

P O L I T I C A.

De Statu Reipubl. mixto.

T H E S I S . I.

NE de non ente chymærico in cassum forte fundamus verba; Num talis Reipubl. status dari possit in antecessum, monente Philosopho, inquire convenit. Litem cum asseclis moyet Bodinus lib. 2. de

2. de Republ. cap. 2. ubi in hęc verba (pag. 274) erumpit :
Ac nisi argumentis non modo probabilibus sed etiam necessariis ad
assentendum ab illa Polybii, Tullii, ac ceterorum sententia dedu-
cerer, talium virorum autoritate vinci me ipsum facile passus es-
sem. Doceamus igitur eos errare ac decipi qui quartum illud genus
(puta Reip.) ex tribus temperatum posuerunt, &c. Ab Hoc in
alia omnia discedentibus aliis, satis non fuit mixtas contra
Bodinum Rerumpubl. formas afferuisse, quin omnes sim-
plices simul tollerent, nullaque præter mixtas dari statue-
rent. Verum uterque, sanioribus sic statuentibus, oppido
falluntur; dum Alter indivisibile Majestatis ιδωλον adorat.
Alter umbras, ac inania ejusdem simulachra suspicit ac ve-
neratur. Imperitandi aut gubernandi ratio ab ipso jure dis-
cernenda venit. Quid quod non omnis qualiscunque ad-
mixtio de simplicitatis sede Rempublicam dimovere possit.
Ut enim in naturae theatro mixti nomine venire nequit,
quod non ex quatuor simplicium elementorum castigatis &
ad mediocritatem redactis formis quintum exsurrexit; Ita
nec in hoc civili orbe mixti titulo salutari ulla Resp. mere-
tur, quæ non aut tertia aut quarta à simplicibus inter se pari-
modo castigatis exsurgit; sic ut nullius nomine indigitari
possit.

II.

Ut autem una (quod ajunt) fidelię duos pariter dealbemus
parietes; id est ut simul & Bodini rationibus occursemus, &
inconclusa simul veritatis fundamina jaceamus mixtionis
hujus indoles mentis oculo altius penetranda venit. Cum
enim simplicium Rerumpubl. formæ haud aliunde quam ex
imperantium numero, penes quos summa (qua nihil subli-
mius excogitari in Republ. potest) Majestas requiescit, æ-
stimari soleant, quomodo Majestas & penes unum, & pe-
nes pauciores, & penes omnes simul esse possit inquirendum.

III.

Majestatis (quæ convenienter satis Besoldo aliisque de-
scribitur,

describitur quod sit summa, perpetua legibusque soluta potestas,
competens in res & personas sua Reip. vel inibi existentes) per-
sonalis inquam duplex κατ' ἀναλογίαν temperamentum exco-
gitari potest; alterum ad pondus ad justitiam alterum. Illud
indivisa Majestatis jura quasi ad libellam & æquilibrium ex-
acta per singulos simplicium formarum status ex æquo di-
stribuit. Hoc iterum tale esse potest vel κατ' αληθεαν vel
κατὰ διέγαν, hoc est; cum Majestas diversis sed diversimode
communicata videtur. Quomodo in Republica olim Ro-
mana penes populum potestas, autoritas penes Patres erat
teste Halicarnass. lib. 7. c. 27. hinc frequenter apud Livium
iterata vox: *Senatus decrevit populus iussit.* Hanc κατὰ διέγαν
mitionem appellito quod revera Jurium Majestatis per di-
versos status dispersio non sit, sed tantum videatur illis qui si-
mulachra, & externi splendoris umbram pro ipsa re comple-
&untur. Dignitas, & potestatis Majestaticæ exercitium, haud
jus penes Patres desidebat, ex cuius demum tanquam animæ
communicatione mixtio æstimari debet. Unde in eo statu,
vel invito Machiavello Rempub. Romanam Democraticam
fuisse censemus. Non inconcinne, nec insubide hanc in rem
Besoldus dissertatione singulari de statu Reip. mixto. §. 2.
Ac sane si non ex jure, sed gubernationis ratione, Resp. definiretur;
tum Dominus servum filiali amore complectens, non affectione sed
& jure fieret Pater: quod nemo facile diceret.

I V.

Κατ' αληθεαν considerata Rerumpublicarum mixtio prima
divisione in bimembrem abit: vel enim sit jurium Majestati-
corum, sive Regalium (sic cur dici non possint habita Ety-
mologias ratione, non video; licet non ignorem strictiori
sensu id nominis JCtis venire) divisione. Vel indivisorum
limitatione. Hæc nascitur quando jura quidem Majestatis
penes simplicem aliquem statum requiescant, sic tamen ut
ejus potestas fundamentali quadam lege etiam quoad exer-
citium limitata, restricta ac determinata sit. Dico, quoad e-
xercitium, non præcile quoad constitutionem, quod hæc li-
mitatio

mitatio quasi ultima mixtionis ac temperationis forma sit. Status hic mixtus docendi causa *L^egalis* dici posset. Illa autem tunc exsurgit quando Majestatica jura disseparantur ita ut alia Principi, alia optimatibus, populo alia concedantur, quæ collectim integrum Majestatem repræsentent.

V.

Quod autem ad temperamentum illud primum attinet quod docendi causa temperamentum ad pondus diximus: illud dari non posse ultro fatemur, cum non nisi perditissimum Reipublice statum sapiat; ac desperatissimæ salutis anarchiam, omniumque rerum confusionem introducere videatur. Quid quæso boni tali in status perandum, quo alter alterius conatibus non tantū resistere, sed & eosdē, si voluerit tollere potest; quid quæso executioni mandabitur, si *Summa* illa, aut duo, aut tria; quæ singuntur capita partium studio distrahantur? ac quisque suis rectum quod videtur oculis facere instituat? Non duos capit orbis soles; & socium nec regnum nec tērā ferunt. Unica summa Majestas esse debet, nisi suo frustrari sine velit. Quid quod Majestas *summa* sit ac perpetua potestas. Summum autem nisi unicum dari non possit. Nec paris in parem aut potestas aut jurisdictio ulla. Alteram mixtionis formam, quam *λ^εξα* diximus, jam ante ex mixtarum censu expunximus, unde nihil de hac dicendum amplius occurrit.

VI.

Duplicem temperamenti *κατ' αληθεας* speciem supra posuimus, ac alteram jurium divisione, alteram indivisorum limitatione constitui diximus. Hanc Majestatis divisionem repugnare Bodinus clamat, variis etiam in subsidium vocatis rationibus, quibus cum jam abunde ab aliis satisfactum iis recensendis haud immoramus. Ut mirū omnino sit inter modernos adhuc inveniri quos ad nauseam usque eandem reponere crambem non pudeat; quibus ut occurratur, & in superpondium satisfiat, ultro cum ipsis temperamentum *ad pondus* quod sibi imaginantur, quodque continuis

D

ictibus

i&ibus feriunt ; cum propria frustra larva luctantes ; rejici-
mus. Non hoc sed ad justitiam temperamentum oppugnan-
dum esset. Verum licet & hic aliquid , ne nihil dixisse vide-
antur tentent , revera tamen tantum tentant . & hoc capitolii
aurum non nisi obtusis dentibus mures arrodunt. Ipsi omni-
bus expansis mentis viribus in idem semper lutum ex quo se
extricasse videri volunt , recidunt , hoc ubi ostenderim mu-
nere meo probe me defunctum spero. Agedum ad rem ! Bo-
dinus lib. 2. c. 1. p. 275. de Repub. sic illam Majestaticorum
jurium mixtionem se expugnassi putat : Et illud quod ex
tribus generibus conflatur nihil differt à populari status: nam si tres
civitates quarum una à Rege , altera ab optimatibus , tertia à popu-
lo regatur , in unam & eandem coant: Reipub. formam ; simulque
summa potestas ac imperium omnibus communicetur , quis dubitet
quoniam status ille popularis sit futurus ? nisi vicissim imperium Regi ,
deinde Optimatibus , postea populo tribuatur &c. Sed rursus ad hac
tria qua dixi genera RerumpUBL. relabi necesse est &c. Quis du-
bitat quin hac in mixtionis formula singulis membris sum-
mam tribuat potestatem haudquaquam unam per singula di-
visam , adeoque ad temperamentum quod supra ad pondus
diximus , quodque à nobis rejectum , relabatur. Unde nos
asserere non veremur talen statum (tantum abest ut popu-
laris dici possit) ne quidem legitimum esse , sed anarchiae
admodum similem ; & nullum hoc magis instabilem & ver-
satilem excogitari posse. Nec in his vel minimos quisquam si-
bi ducere poterit triumphos. At si vicissim id est per vices ,
licet nos tales non propugnemus mixtionem , & Rex , & O-
ptimates & Populus imperii habendas moderetur , non inde
tamen confici unquam poterit statum hunc simplicem esse
& ad tria (ut loquitur) RerumpUBL. genera relabi. Cum li-
mitata Majestas hoc ipso quod limitata nec perpetua , abso-
luta Majestas nec dici nec esse possit , adeoque vi fundamen-
talis pacti , penes totum demum resideat corpus. Pergit :
Sed qui unius dominatum cum paucis simul & universis constitue-
re velit , non possit ac ne mensis quidem cogitatione id consequi.

Nam

Nam si Majestatis per se ipsa quiddam est individuum, ut antea demonstravimus, quaratione uni & omnibus, eodem momento congruere possit. Majestatis primum caput est, UNIVERSIS AC SINGULIS CIVIBUS LEGES DARE; HISQUE IMPERARE. Sed qui cives imperio sese obstringi patientur invitati qui rursus imperantem cohercere poterunt; nam si sponte parrebunt Majestas ipsorum labefactata concidet, si imperia recusabunt utique, neque sit qui pareat aut imperet, anarchia non Respubl. fuerit, Tyrannide crudelissima deterior. Quod si populo jubenda legis & Magistratum creandorum fiat potestas, cetera Senatu ac Magistris permittantur, popularem statum esse confidendum erit. &c Unius dominatus quomodo cum paucis ac universis constitui possit paulo post indicabimus; cave si interim in voce dominatus latebras querites. Majestatem per se quiddam individuum esse, si omne Majestatis punctum totaliter sumatur, ipsis, si non antea indicaverimus, agnoscimus. adeoque temperamentum ad pondus, quod in æquali indivisibilis Majestatis divisione consistit, rejecimus. Majestatis primum caput est universis ac singulis civibus leges dare eisdem imperare. Primitate non tam perfectionis præcise, quam adæquationis, ut in scholis loquimur; adeo ut hoc, quod primum Majestatis dicitur caput, totam secum Majestatem trahat, nec in unum mixte Recipib. membrum caderre possit, ni denuo temperamentum ad pondus constituere velimus. Et hinc utraque adversariis manu concedimus tallem statum non mixtum sed popularem democraticum esse, ut frustra suis figmentis debellandis occupentur, sic qui nungantur minutias (ut typis & chartæ consultamus) conflictui reservabimus. Hac eadem via cum ad mixti status eversiōnem moderni quidam grassentur, nihil iis reponendum duccimus; quod ex dictis ipsorum insultus averti commode possint, ut conflictus docere poterit.

VII.

In omni Regalium divisione quæ statui mixto constituendo idonea sit, hoc cum primis caverendum, ut illa quæ univ-

versā secum potestatē trahunt, jura unī peculiariter membro assignemus; toti siquidem reservanda sunt. Cætera vero per membra commode singula distribui possunt. Nos impræsentiarum, licet variii pro diverso Reipubl. statu mixtionis modi excogitari possint, ne vacuum mittamus Lectorem eum propugnandum suscipimus quem Arnisæus cap. 8. Polit. pag. 215. proponit. Et ne Chimæricas Platonis Ideas confinxisse videamur, tales ipso actu mixtos status dari defendemus. Coronidis loco (rem ut absolvam) hunc eundem statum, thetice loquendo, humanæ conditioni convenientissimum pro viribus tutabimur. At heus necdum omnis penitus exhausta difficultas, id quod maximum videbatur jam pene prætervectus eram: *Legale*, quod supra diximus, imperium temperatum dici non posse videtur, à mixta in specie sic dictis, saltem diversum. Verum hoc licet esset, nostra tamen in concusâ thesis maneret, qui mixtas Rerum publ. formas dari assuerimus. Audiamus tamen cur hoc legale imperium jurium Majesticorum (personalium inquam) per diversos status divisionem secum trahat. Quia (inquis) hac summi imperantis limitatio & coercitio institui nequit nisi illi limitatores potestatis partem aliquam, qua id facere possint, habere debeant. At sic omnino dividitur haud temperatur Imperium. Fatemur & illos partem aliquam potestatis habere, verum sensu non composito, sed diviso. Adeoque hac sub cautela omne potestatis jus in unum collatum alserimus, cui fas non est quamdiu præfixos non egreditur limites, resistere. Hæc in foro disputatorio ulterius examinari aequaliterunt. Hic ergo subsistimus ut ad ultimum propositum accedamus; controversias (inquam) ex omni Philosophiæ parte strictim enotemus.

EX PHILOSOPHIA in genere.

I.  Antam Philosophia humanarum scientiarum Principis difficultatem arbitramur ut vel eam simulasse magna Philosophia pars sit. Vnde Philosophi non illa

illi demum sunt, qui hujus fastigium descendere; verum illi qui propter admirationem aliquarum rerum conantur intelligere. Verba sunt Alex. Aphrod. I. Metaph. com. I. Valeat ergo illorum Philosophorum tumor, qui saepe nihil praeter pallium & barbam adserentes, se non Philosophos, cum modestissimo Pythagora, nec Philosophia Doctores, sed Magistros, voce ad fastum nimis composita vocitare non erubescunt. 2. Hinc tamen nemo conficiet nos cum Scepticorum familia rerum Philosophicarum sententias ē medio sustulisse. 3. Inter Philosophia principia magnam partem sensuum iudicium facere qui negant, Scepticorum vestigia, velint, nolint, premunt. 5. De Philosophis, familias qui ducunt, sermō si sit, omnibus, licet & ipse graviter interdum impingat, palmam praripiuit Aristoteles. 5. Vera Philosophia, quae in Theoreticam & Practicam non inconcinnē dispescitur, cum Reuelata Theologia adversis frontibus concurrere nequit. Nihil ergo in Philosophia verum, quod non & ipsa Theologia ut verum amplectatur.

EX LOGICA.

Egregia in ipso aditu de nomine oritur controversia utrum Philosophia pars dici debeat nec ne, nos re bēne penſiculata, a quo si non portiori jure cum Ethica in partium Philosophicarum censum eam venire debere censemus. 2. Practica autem hac adeo nobis est disciplina ut nec minima Theoretica cognitio in ea occurtere videatur. 3. Objectum ejus intellectus actus, eo modo quo Ethica appetitus, statuimus. 4. Universalia qua entia rationis regamus, & ante intellectus operationem nihil esse credimus, cum in Logice secundum prædicandi modum considerentur ad quaternarium numerum mediata divisione revocanda putamus. 5. In omni prædicatione prædicatum quodammodo essentialē subiecto esse debet. 6. Formalis ratio Prædicabilis Generis, & Specifici non consistit in Prædicari de pluribus specie, & numero differentibus. 7. Posse dari aliquam speciem qua sub duplice Genere partiali proximo consisteat repugnare non putamus. 8. Poſe signum vocale aliquid magis clare significare et, qui talēm vocem audit, quam qui eam

profert verum est. 9. Forem seipsum significare posse negare non possum. 10. Formalisatio veritatis Enunciatio, quæ propositioni accidentalis est, consistit in sola denominatione partim intrinseca, partim extrinseca subiecto, id est, actu. 11. Veritas licet essentialis propositioni non sit, de vera tamen in falsam propositione nulla mutari potest. 12. De Propositionibus exponibilibus (sic loquuntur) immare quantum laborare soleant Scholastici; canos certe pilos haec ipsæ juxta technologemata sua, quæ pro exponendis his propositionibus excoxitarunt, fecit doctrina; technologemata autem hæc sunt: Pater Nile Tenax Storax Canos Pilos Fecit Nobis. Verum ego malim expositiones, quæ necessaria est, vacare sepositis his, quam adhibitis vocibus. 13. Per assensum conclusionis præmissarum objectum attingi illativa particula Ergo ostendere videretur. 14. Quocunque modo ad conclusionem præmissa concurrant, sive illuminative, sive effective semper requiritur ut utraque præmissarum sit in instanti conclusionis. 15. Falsum est conclusionem tantum habere certitudinis, quantum certissima præmissarum, eo quod assensus præbeatur conclusioni non propter utramq; sed propter certissimam præmissarum.

E X P H Y S I C A.

1. IN Scientia Physica, quam vere scientiam putamus, de Principiis corporum naturalium admodum jam olim & nunc controvexitur; Nos qui certiora needum invenimus, nec inventa viderimus Stagira Principem settamur assignantes tria generationis intrinseca Principia. Materiam, Formam, & Præivationem. 2. Ut purus actus dari posset, ita puram potentiam id est ens in pura potentia dari posse negamus, consequenter hanc omnimodam potentialitatem cui materia tribuunt ex se (in sensu formalis scil.) eos graviter hallucinari putamus. 3. Materia prima cum non sit a forma nec efficienter nec materialiter nullam ab ipsa a priori dependentiam habebit; adeoque haud repugnabit eandem omni substantiali forma denudatam posse existere. 4. Supposita diversitate Materiarum (quæ non admittit) sublunaris ista perfectione sua superare videretur. 5. Dari Formas substantiales statuimus. 6. Ha si ma-

si materialiter causentur à Materia iuxta communem. Peripatetici
corum scholam dependentes à priori ab hac erunt, adeo ut nec de
potentia divina separatim ab hac existere possint, inde tamen eas
accidentia esse consequi negamus. Si vero eadem ab aliis propagen-
tur adeo ut non tam ex materia educantur, quam emergant, ut lo-
quitur Scaliger, nulla ratione negari poterit eas de potentia absolu-
ta à Materia separatum existere posse. 7. Formarum Multiplicatio-
nis, iuxta partes Metaphysicas, aut triplicem viventium gradum,
ut absurdum; Ita nec corporeitatis Scotistica forma, quam ad solum
hominem quidam restringunt, nec formæ imaginariae partiales hunc
numerum augent, præsertim quod ha vel ex ipsorum placitis acci-
dentes dicenda sint. Iuxta hos enim substantia est prima radice
non tantum effectiva sed & finalis, ex quo fundamento dispositio-
nes ad has partiales formas accidentales afferunt, cur igitur non
ego idem de his in ordine ad Rationalem dicerem? 8. Repugnat to-
tum essestiale realiter distingui ab omnibus partibus simul sumptis
& unitis. 9. Licit causa nulla ad distans operari possit intacto
medio, potest tamen quædam in distans immediate operari, licet in
medium non operetur; si sit contigua cum aliis causis intermedias in
idem distans operantibus, quod varijs experimentis ostendi potest.
10. Vnum corpus duobus in locis simul esse posse quocunque modo
id explicetur, repugnat. 11. Entitas loci à locato distincta, ni-
hil aliud est quam imaginaria quædam vacuitas corpore locato re-
pleta. Et hinc sequitur spaciū ut sic non posse esse extensum secun-
dum trinam dimensionem nisi per extrinsecam denominationem à
locato desumptam. Ni spatiū spatiū fingere velimus & loci lo-
cum, ac tandem dimensionum penetrationem afferere, quæ omnia
absonta. 12. Vacuum de potentia absoluta dari posse nulla ratione
negari potest. 13. Nullum dari infinitum actū corpus, nec dari
posse certissimum esse debet. Quæ enim Lojolite nugantur de in-
finito Categorematico in multitudine & magnitudine, & inter duo
puncta comprehenso, deque uno altero infinito majore tot absurdis
contradictionibus scatent quot verbis. Eadē cum Lojoliti solemnia
delirare debent qui Mundum actū infinitum ajunt, & sublati ex-
tra mundum spaciis imaginariis (quæ entia tantum rationis sunt)
infinita

infinita spacia realia actu extensa substituntur. 14. Sola fide mihi persuadetur unicum esse Mundum. 15. Spatia imaginaria extra cælum qui negant, ni Deum finitum ac mutabilem asserere velint, sola à nobis voce dissentire debent. 16. Humiditatem & siccitatem superadditas à corporibus humidis & secis qualitates distinctas esse ut asseramus nulla nos cogit necessitas. 17. Proprie diætam effectivam contrarietatis pugnam inter calorem & frigus probari nullo experimento aut ratione posse putamus; quæ non eadem vi pro contrarietate duarum vibrationum dimicare possit. Certe si primi & primi inter se non pugnant gradus, nec octavus octavo repugnabit. 18. Dicere bruta ab objectis non moveri per cognitionem sed præcise ad illa ferri tanquam gravia ad centrum, est sine ratione insanire. 19. De Origine animæ rationalis inter Philosophos discepatur, ego, licet aliquando dubium hac in parte me fecerit propagatio peccati originalis, melius tamen jam edictus, à solo Deo illam creari (pagina S. Eccles. cap. 22. v. 9. idem docente) assero. 20. Supposita distinctione potentiarum cum ab animatum inter se, quam supra rejecimus, quarti sole utrum liberitas in intellectu, utrum vero in voluntate sit constituenda. Ego, ut verum fatear, tam lynceus non sum ut videre possim quis ulla libertas voluntati potentia cœcta tribui possit. 21. Ut sensus communis in cerebro recte locatus putatur, ita & illic Appetitum ejusdem, qui in complacentia & disfluentia consistit, locandum esse arbitror. 22. Rejecta Lojalitarum potentia libera definitione (nisi intelligatur de requisitis ex parte objecti positis) quam ipsi evertunt quando statuunt clara objecti cognitione postea actum voluntatis non esse indifferentem; optime definitur Principium operandi ex prohæresi. 23. Ad omnem voluntatis actum (sermo est de specificazione) requiritur ultimum rationis practicæ judicium. 24. Habitus supernaturales licet simpliciter ad actus sint necessarii, dant tamen prater posse simpliciter etiam facilitatem. quotidie petimus augmentum fidei, & pro majori augmentatione intensius & facilius operamur. 25. Ad habitus contrarios non requiruntur de necessitate motiva formalia contraria, sufficit amor contrariorum objectorum

rum materialium etiam ob non contrarios fines; sive enim quis Liberi patris rore & flore respurgatur propter delectationem, sive propter aliud etiam bonum finem, generabitur nihilominus ebrietatis habitus. Et ille sive ob hunc sive ob istum finem Baccho operetur, certe intra sobrietatis terminos constituisse dici nequit.

HISTORICO-PHYSICA.

Coralium, quod cum Theophrasto inter lapides refero, juxta communiores veterum sententiam sub undis molle, extra aquam lapides cit. Recentioribus, qui contrarium se expertos fuisse dicunt num starci possit dubito. 2. Hominem ullum ex putri materia genitum esse aut digni posse, quicquid multis hac in parte Platonizantibus visum fuerit, negamus. 3. Sed quid videtur de viridibus pueris in Anglia visis, qui mesoribus in agro metentibus ex fossa luppen (idemate Anglico sic dicta) emersisse dicuntur, de quibus late Guilielm. Novoborigensis Chronic. rerum Anglic. lib. I. cap. 27. Si fabulosum non sit quod narratur, lusus Diaboli hic intercessisse non possum negare. 4. Quid videtur de Volucri Arborea an serculorum forma in Insulis Orcadum sponte sua ad insulanorum delicias proveniente, de quo Michael Majerus speciali de hoc tractatu? licet falsum sit quod in arbore ad instar pomi crescat avis, ut tamen sponte sua oriri credamus. Authorum fides mereri videtur. 5. De Agno Tartaria licet non omnia quae referuntur fabulosa sint, fabulosa tamen quadam circumferri non videtur negandum. 6. Mulieres in mares mutari posse & mutatos historiarum monumenta abunde testantur.

EX MAGIA NATURALI.

1. **D**isquisitiones Magicas in Academiis instituere non solum licitum, sed & utile, & necessarium arbitror. 2. Diabolus, licet propter multarum nobis occultarum qualitatum notitiam, activa passivis applicando mira praestare possit, miracula tamen edere nequit. 3. Omnes operationes quae per characteres, figuras, & numeros ut tales instituuntur, diabolo ut authori adscribenda sunt; frustra hic fingitur virtus quadam his figuris ab aliis sublimioribus

eribus communicata ex sympathia quadam naturali rerum inter se similium. Hoc idem cum Lojolita afferant juxta artic. Parsiens. 21 , viderint ipsi quomodo Ecclesiam suam Romanam à diabolica Magia immunem praestare possint. 4. Ejusdem commatis operationes censentur , quae tactu solo , solo visu , aut voce fieri finguntur; huc referto unguentum illud armarium tantopere decantantum; cum enim nulla harum operationum Physica causa esse posse ex patto cum Damone inito sive expresso sive tacito procedunt. 5. Fascinum quod cum Poëtarum filiis Amantium oculis adscribimus non Physicum sed morale est. 6. Aurum verum arte Chymica Politice saltem fieri posse improbabile non videtur. 7. Lupus in ovem non tam antipathica quam sympathica motione fertur. 8. Nocturnos sagarum conventus ac volitationes per aera , licet ope Demonis fieri possint , imaginarios tamen esse defendemus. 9. Diabolum humanum corpus in bellum mutare non posse certū mibi est; adeoque lycanthropiam omnem ut falsam rejicio. 11. An Philtro id est poculo amatorio amator ad redemandum amasiam cogere possit quæstio est; quam accurata distinctione enucleandam censeo. 12. Diabolus absolute contingens ut talia prædicere certo nequit ; certo tamen aliquando ea , quæ nobis contingens videntur , prædicere potest. 13. Ut nullam Magi in bonos Angelos potestatem habent , ita Demones malos nisi volentes cogere possunt. 14. Vtrum odoribus afficiantur demones quari ab imperitis solet ; nos ut moraliter ipsos affici concedimus , ita Physicè negamus. 15. Ut Physica Chiromantia , qua Physiognomia pars est , si suos se intra terminos contineat licita est , ita Astrologia ut vana & superstitionis responda. 17. Non omnis ex insomniis divinatio illucita ; immo sepe bona , necessaria & salutaris est.

EX METAPHYSICA.

1. **P**rimum hujus Scientiæ , admodum hodierno tempore necessaria , doctrinale principium , per quod omnia reliqua probari possunt , est hoc Aristotelis : Impossibile est idem simul esse & non esse. 2. Inter Ens & non ens nullum admittit medium ; quod enim quidam attributa entis medium faciunt probare

bare non possum, sunt enim mihi entia sub inadæquato conceptu,
quomodo attributa Dei sunt ipse Deus. 3. Vnita entis attributa,
salvo meliori judicio, immediata divisione duplicita facio: Unum
& Perfectum, hoc est tale vel in ordine ad intellectum primum &
Verum dicitur. Vel in ordine ad appetitum primum & bonum
vocatur. 4. Ens objective à ratione unius, quod negationem di-
visionis ei superaddit, præscindi nequit; formaliter potest; quod i-
dem de essentia & existentia dicimus. 5. Principium individu-
ationis quodnam sit in nostra sententia vix in questionem venire
potest, cum nihil in ea notius quam quod per singularem suam en-
titatem unumquodque inducatur. Nobis ergo inquirendum
quodnam sit principium universalitatis; radix in quam universaliti-
tati, fundamentum aliis; dico similitudinem quam à parte rei in-
venimus hujus radicem esse. 6. Falsum est gradus ejusdem indi-
vidui scil. Titeitatis, humanitatis, animalitatis, viventis substanc-
iae, objective præscindi posse. 7. Per præcisiones objectivas, etiam si
ea darentur, nullum sit universale; sed tantum per formales. 8. Ex
principiis Scoti non sequitur necessario, quicquid aliis videatur, u-
nicam naturam humanam esse in omnibus individuis. 9. Ratio
entis abstracta analoga dici nequit, nec propter dependentiam, nec
propter transcendentiam. 10. Imò & ens juxta formaliter præ-
scindentes non magis transcendentiale est respectu suarum diffe-
rentiarum, quam animal respectu suarum. Ut enim rationalitas
præscindi potest formaliter ab animalitate, ita & animalitas ab
entitate. 11. Ens ergo in summo rigore univocum est respectus
omnium inferiorum. Nec ulla dantur analoga propria, sed tantum
impropria illa nar' ἀναλογιαν que proportionalitatis vocamus. 12.
In quonam entis possibilis formalis ratio consistat scrupulose admo-
dum inquiri solet. Nos dicimus in recto possibile dicere ens positivū
secundum omnem suam entitatem, quam haberet à parte rei, si exi-
xisset. In obliquo negationem ex hypothesi existentie duorum con-
tradictoriorum; licet proximius denominationem possibilitatis (cre-
atum scil.) accipiat à potentia Dei potenter illud producere. 13. Non
video cur unum summum Genus Entis constitui non possit, imo
eur non debeat, quod divisionibus variis in varias classes abeat.

16. At dices hinc sequetur Deum esse compositum ex Genere & differentia? Grandia in speciem sonantia, ac ad terrorem composita verba. Nobis ea compositio nulla est; eadem siquidem indivisibilis ac simplicissima entitas conceptu confuso cognita Genus; claro, differentia dicitur, quæ quo in eo repugnaria si Deum concipiām præcise in ordine ad predicata existendi, ut non concipiām in ordine ad infinitatem, quæ hic in Deo imperfectio? 17. Relatio similitudinis non distinguitur nec realiter nec modaliter à subjecto, seu fundamento toto & termino.

EX PNEUMATOLOGIA.

1. **R**atione naturali Deum esse, imò pleraque si non omnia eius attributa essentialia invictis argumentis demonstrari posse certum nobis est. 2. Eundem Deum colendum esse eadem ratio dicit. 3. Agitari hoc loco solet controversia quomodo naturalis Dei cognitio hominibus in statu naturæ consideratis insit. Nos cum subtilissimo heu quondam hujus Academiae Professore Ravensbergio diff. de Deo select. 5. thes. 4. in hac verba, quæ ipsis sunt respondemus: Cognitio Dei naturalis seu Theoretica, seu Practica non inest nobis (loquor de iis qui in statu sunt naturali) secundum habitum, etiam infantibus, multo minus secundum actum; verum ratione potentiae tantum, nullo negotio sele exferentis, atque ad actum habitumque proficiens, ubi ratione recte uti incipimus. 4. Ratione concursus divini cum creaturis & libera hominis voluntate, non tantum concursum cum Semi-Pelagianis, sed & præcursum & prædeterminationem Physicam propugnamus; hanc tamen libertatem nostram tollere negamus. 5. Scientiam Medium recte Philosophi hoc loco impugnant. 6. Et Decretorum divinorum, quæ Idearum ipsis nomine veniunt, cognitio Philosophi apertæst. 7. Sequestrata Revelatione divina Angelos dari apodictica demonstratione demonstrari non potest. Hinc tamen sequi Naturalem Theologum de Angelis agere non debere. Nego.

EX ARITHMETICA.

1. **N**ihil notius est quam quod Arithmeticam & Geometriam Euclides eodem volumine confuderit; inde tamen argumentum velle desumere pro negatione distinctionis harum disciplinarum, forte sapientis non esset. 2. Unitatem numerum dicemus, nisi quæstio hæc esset de nomine. 3. Causam, cur numerus ultra denarium non progrediatur, nec infra eundem subsistat & semper recurrat, nullam hactenus nec vidimus nec dare possumus; Congruentias ut rationes haud suspicimur. 4. Duas Arithmetica species primas statuimus Additionem & Subductionem. 5. Hunc numerum non auget Numeratio, quam exercitii gratia ad Grammaticam pertinere defendemus.

EX GEOMETRIA.

1. **D**emonstraciones qua per congruentias figurarum seu superpositiones sunt Mechanica non sunt discenda. 2. Ex definitione Euclidæ defendi potest triangulum quatuor constans lineis. 3. Ridicule Logomachias captant, qui querunt an in omni triangulo tres anguli duobus rectis aequivaleant; quasi id Euclides demonstrasset. 4. Inter Diametrum & Peripheriam proportionem nullam inveniri posse, hactenus demonstratum nondum vidi. 5. Quantitatatem aliquam dari posse, qua licet in infinitum augmentum sumat, aliam tamen, licet & ipsa quamdiu fieri potest minuatur, superare non possit nobis certum videtur. 6. Ex definitione figura quam Euclides proponit haudquam sequitur aut lineam, aut circumferentiam figuram esse.

EX COSMOGRAPHIA, ASTRONOMIA, ET SPHÆRICA.

1. **V**ælio est parvi momenti, qua queritur utrum recte divisi datum in quinque Zonas terra, & tantum de nomine. 2. Ex superficiebus corporum intermediis cælum rotundum esse debere evincere non potest. 3. Cælum Beatorum invisibile & incorporeum

facere absurdum est. 4. Horizontem & Meridianos circulos esse mutabiles negari puto non posse, nisi forte de concipiendi ac loquendi modo controversiam quis movere vellet. 5. In altissimo & monte constitutus impossibile est ut plus quam medium cœli partem videat, cum in centro terræ constitutus omnibus sublatius impedimentis medium solummodo cœli faciem intueamur. 6. In Meridiano primo assignando cum omnis error studiose vitari debeat, & fides penes pyxidem nauticam hac in parte, peritis dicentibus, satis lubrica sit, præstat fixum certum ac cognitum aliquem locum designare, quam pyxidia nautica in stabilitati se committere; quid quod, monente Stevino, Observationes per pyxidem ab aliis & aliis eodem in loco instituta tanta accuratione obiri nequeant, quin unius minutti differentia inter ipsos & istos intercedat, qua passum 300. vulgarium est; satis certe magna. 7. Supra cœlum stellarum fixarum aliud cœlum V. C. primum mobile ut singamus nulla nos cogit necessitas. 8. Impossibile est idem duobus motibus contrarius simul ut feratur. Ergo nec stellæ duplice tali motu ferri possunt. 9. Si tamen cum Scriptura loqui velimus, & annum pariter ac diurnum soli assignare, poterimus id concipere per motum cum motu aliquo trepidationis conjunctum aut alio quopiam isti vicino. 10. Eundem tertio adhuc motu circa proprium axem voluntari ratione non improbabili nititur. 11. Omni propria ac instinctia lunam carere luce modo lynceorum Mathematicorum experientissimatum, statuimus. 12. Ut autem luna terram luce a sole accepta & repercutta, ita & terra lunam illuminare videatur. 13. Alium locum habitabilem in hoc mundo inveniri præter terram mihi nondum persuadere possum. 14. Vana astrologorum superstitione & horas planetarias & dies ab illis denominatos introduxit. 15. Planetarum motus irregularis non est. 16. Interitum mundi ex astrorum motu sitique prædicere velle, absconum est. 17. Quaecunque Astrologi de Thematibus Genethliais erigendis, ac cœlestibus domibus constituendis somniant, vana & superstitionis sunt.

EX OPTICA.

1. **C**Vm teste experientia unum idemque visibile objectum à pluribus eodem temporis puncto simul videri possit, & species externæ divisibilium objectorum, eadem experientia suadente, indivisibles esse nequeant; consequens est ut in quocunque aëris punto tot sint distinctæ species, quot partes objecti, ad quas ab illo punto recta duci potest. 2. Falsum est speciem objecti imaginem esse in qua prius visa objectum videatur, vel etiam qua formaliter repræsentet objectum. Si vero dicas esse representationem non Physicam sed intentionalem, id est, cognitionem, certe in graviora incides absurdia. 3. Quid igitur est? est qualitas quadam ab objecto producta complecta actu, ad sensationem non formaliter sed efficienter concurrens. 4. Licet de potentia absoluta visus possit colorem absentem videre, posse tamen colorem percipere abstracte ab ubicatione mihi probabile non fit. 5. Species intensionis & remissionis capaces esse experientia evincit. 6. Minus valida ratio qua impugnatur identitas lucis & coloris, quod scil. hinc sequatur omnes colores eosdem esse debere. 7. Si quis assereret corpus opacum per se esse diffusivum tenebrarum & umbrarum tanquam spæcierum videretur haud circa absurditatem nugari. 8. Quod oculorum pupula in aliis minor in aliis major appareat, non tam pupille constitutioni, quam sensitibilitati propter variam araneæ indolem adscribendum videtur. 9. Certum jam esse debet quod in nulla oculi parte visio fieri possit præterquam in tunica retina; quia tamen in hac tanquam obscura camera pariete rerum imagines inversæ videntur quæ soler quo ratio quod etiam res ipsa inversa non videatur, nos salvo aliorum judicio, putamus causam inde desumendam quod tota visio in retina non absolvatur. 10. Quod duobus oculis res non gemina sed simplex videatur in concursum nervorum rejiciendum non esse experientia luculenter testimatum fecit. Causa videtur axium utriusque oculi communis situs in eodem plano horoptere. Si enim non in eodem horoptere sed intra horopterem videatur res quæcumque visibilis gemina videatur. 11. Efficere ut instar montis vel arborum homines videantur.

miss absque ullius instrumenti aut speculi beneficio. Probl. 12. Eodem modo ut immotum ad immotum accessisse videatur. 13. Vtrum uno oculo clauso accuratior existat visio, utrum vero duobus quari potest, nos adhibita distinctione respondebimus.

EX STATIC A.

1. Experientia aliorum nos docet falsum esse, quod graviora etrationes hujus inquirenda sunt. 2. Impuritatem Elementi pondere demonstrare. probl. 3. Aer per respirationem attractus ad pondus exigi potest. 4. Frigoris vehementia pondere explorari itidem potest. 5. Hominis vires pondere explorare. probl. 6. Figuram orbicularem angulari capaciorem esse pondere ostendi potest. 7. Et hujus beneficio de hominis valetudine judicium fieri posse Medici, ut puto, haud negabunt.

EX ETHICA.

1. Summum bonum hujus vita quod lumine & natura viribus assequimur, quod recte omnino ab Aristotele in Operatione constituitur, summo bono Theologico supernaturali non est opponendum sed supponendum & subordinandum. 2. Haud igitur ea qua ex residuo lumine recte docuerunt Ethnici de virtutibus descendenda, sed ad ulteriorem perfectionem a Christiano qua tali ordinanda sunt 3. Philosophus qua talis in summo Aristotelis bono subsistit, quia ex ratione tantum philosophatur. At qua Christianus & Theologus conatur plus ultra. 4. Summum bonum quoad essentiam etiam & christon a sapiente quando vel in Phalaridis tauro torturatur, separari nequit. 5. Affectus omnes Stoici non condemnant. 6. Conscientia erronea quod sit (puta si quis malum non agat, putet tamen se malum agere) peccatum est, juxta illud Spiritus S. quicquid ex fide non sit peccatum est. 7. Actiones, qua mixta vocantur, spontaneis recte arumperantur. 8. Affectus ut & Virtutes in Appetitu sensitivo stabulantur. 9. Actiones, quas in-

differentes Scholastici vocant, V. C. digitum aut festucam tollere non semper indifferentes sunt. 9. Virtutes qui cum Galeno temperamentum corporis sequi statuunt, cum Sabinis, quod volunt, somniant. 9. Omnis Virtus in quadam mediocritate (non indivisiibili medio) consistit, etiam ipsa Pietas, & Iustitia. 10. Quare solet an dari posse quadam generosa avulsoeia, nos id negamus. 11. Temperantiam specialem virtutem qui negant abjectare iniuria verborum simulachra captant. 12. In Iustitia distributiva Geometrica proportio si non servetur in iustitia erit.

EX OECONOMICA.

1. **R**ecete Ideo servitus dicitur constitutio juris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subjicitur. Nec tamen male disputat Aristoteles servos natura dari. 2. Nobilitas, quæ figmentum nobis non est, quo antiquior eo præstantior censeri jure debet. Si quis tamen à Majorum suorum virtute desiscat Nobilis, nisi titulo tenus, non erit. 3. Vere dixit Aristoteles hominem sua natura societatem appetere; licet interim hoc naturale desiderium indigentia sensu hodie exacui negare nolim. 4. Calibatum vovere omnem temeritatem superat. 5. Virginitatis statum conjugali omnino aut absolute præstantiorem esse negamus: 6. Ad matrimonium contrahendum parentum consensus ut necessarius omnino est, ita idem ratione ut temperetur aequitas postulat. 7. Polygamia successiva licita ut est, ita simultanea omnino improbanda. 8. Vxor ut in Mariti familiam transit, ita & in ejus potestatem, quæ non atrocitate sed humanitate circumscripta, concedit.

EX POLITICA.

1. IN statu primo num ordo hic Politicus locum habiturus fuisse disputari solet. Verum ego, ingenue ut loquar, pro affirmativa sententia nondum satis validam vidi rationem. 2. At pro vita præsentis conditione Politicum hunc Rerum publ. ordinem

ut absolute necessarium propono; imo ut legitimum, etiam à Deo
institutum, quicquid Anabaptistarum furor contra clamitet. 3. Im-
perium cum sit quasi anima Societatis Politicae, ejusque quasi spiri-
tus, quem tot millia trahunt (ut inquit Seneca) non potest alius
ejus & Imperantis finis esse, quam qui ipsius Societatis scil. Pu-
BLICA SALUS. 4. Non igitur audiendi Gnatones illi Poli-
tici, qui omnia natura præpostera legibus ire jubent, dum commo-
dum Regentis Imperii finem assertunt, ac omnia Principis eæ cla-
mitant; nisi hoc posterius de Imperio haudquaquam dominio intelli-
gatur. 5. Quæ de Clericorum exemptionibus Pontificii D. D.
nugantur, ac si illæ juris essent divini, falsissima sunt, & periculi
plena. continent certe arcana dominationis Antichristi Romani.
6. In Monarchico Imperio, de cuius Ratione Imperantis unitas
est, omnino adstringitur ad bene justaque imperandum Monarcha;
Hoc tamen ne vel hilum summa ipsius potestari detrahit, quæ illi-
bata ipsi servatur, dummodo imperandi ratio haudquaquam cir-
cumscribatur aut limitetur. 7. Licet communiter stipendia Mi-
nistrorum, Professorum &c. non distare sed alere dicantur; ipsa ta-
men æquitas id postulare videtur, ut & talia sint quæ ad honorem
faciant. 8. Laudabilis sane instituto & equissima ratione tum do-
centibus tum discentibus varia privilegia & immunitates conce-
duntur leg. famos. auth. hab. C. ne fil. pro patr. 9. Peregrinatio ab
eo, qui oneris pars est, verum in finem suscepta utilis est, quæ alias
plus incommodi quam emolumenti adferet. 10. Firmissimum
Reipubl. fulcrum ut vera Religio est, ita Papistica ac Lojoli-
tistica Reip. maxime perniciose existit, cum non tantum bonos cives
facere non possit, sed & malos faciat. 11. Sic suppliciorum gra-
duis instituendi sunt varij, ut nemo perire possit, nisi quem perire
etiam interfit pereuntis, ut eleganter nonnemo loquitur. 12. Pro-
pter humani ingenii perversionem & imperfectionem in bene con-
stituta Republ. perpetuam judicandi normam leges habere conve-
nit ad quas pœnarum & præmiorum exigatur distributio. 13. An
prædecessoris sui consiliarios successor removere debeat, quaritur,
nos sub distinctione respondendum judicamus. 14. Inconveniens
non est ut mortui sub liberiori aere extra urbem locis ad id peculi-
ariter

3.

arister destinatis sepeliantur; quicquid superstitione vana hominum ratio in contrarium etiam ganiat. 15. Bellum quod Christianis licitum, iustum censetur si publica authoritate, legitimo modo, justisque de causis suscipiatur. 16. In Ephorum Reip. potestate situm esse Tyrannum regno exuere, cum jam suæ Majestatis & potestatis homicida extiterit, qui negant num humanum quid spirent dubitari potest.

EX OCCULTA seu MYSTICA VETERUM PHILOSOPHIA.

1. Fieri nequit ut non putata vites infinitum seu unum cognoscant. 2. Non putata vitis nunquam sedet. Lecti Strangula remedium habet tyram & cantum. 3. Arbor mitis, quare spicit infinitum, nec violanda nec cadenda est. 4. Cauda nigra dextra non est jungenda. 5. In angustum annulum digitus non est inserendus. 6. Corona non est decerpenda. 7. Elixum non est assandum. 8. Neque sal neque statera intrant viam publicam. 9. Hirundo domi suscipienda non est. 10. Ignis est proxima causa gladii. 11. Farina habet infinitum & ipsam stateram. 12. Nudis pedibus, non sine farina sacrificandum. 13. Sanguis humanus ubi sparsus locus lapidibus obruendus est. 14. Terra tangenda est cum tonat. 15. Per diverticula incendum. 16. Templum ex itinere præter propositum non est ingrediendum. 17. Speculum non inspicere ad lacernam debemus. 18. Cor non est edendum. 19. Olla vestigium in cinere confundendum est. 20. A Fabis Vir prudens abstinet. Hoc si de suffragiis, vel in tempestiva venere intelligatur satis sibi constat, si vero Physice explicandum sit, cavenda omnis omnino superstitione erit.

ERRATA graviora sic corrigenda.

Th. 5. lin. 9. dele &. In introd. ad th. Physic. ante 1. th. lin. 3. lege exasciata. th. 5. lin. 16. leg. verum &. Mathem. th. 2. l. 31. leg. ni. l. 42. dele te. l. 48. dele sed. th. 9. l. 13. l. eßet. Polit. thes. 6. l. 73 l. consulamus. Corol. ex Phys. §. 4. pro ista. l. cælestem. Metaph. Coroll. §. 5. l. 6. l. universalitatis. Corol. Cosmogr. §. 5. lin. 1. pro et. l. etiam. Reliqua tu B. Lector facile auferes.

Fausta Acclamatio

Ad

D. JOHANNEM BERTLINGIUM

Jam jam Artium ac Philosophiae laurea

coronandum.

 Uamvis Aonidum statui vernantia Tempe,
 Atque tuas raro visere Cirrha domos;
 Haut tamen argutas fas conticuisse Camœnas,
 Dum Sophiæ celsoſ scandis ad usque thronos.
 Sed licet aut vario plausum tollente Poëta,
 Aut reticente, tamen numina cuncta favent.
 Totæ BERTLINGI resonant Aganippidos undæ,
 Personat hunc cantu Pegasidumque chorus.
 Præſes & ipſe chori, cinctus radiante capillo,
 Pectine Parthasiam tentat Apollo lyram.
 Quid leviora loquor? viridantem Cynthius offert,
 Quæ tua, BERTLINGI, tempora laurus obit.
 Non heic ambitio eſt, emendicatio nulla,
 Vel prece vel precio nec Tibi partus honos.
 Dudum Te titulo cecini dignumque tiara,
 Doctrina titulos anticipanteſ tuos.
 Sint alii longa ſpectandi veste magistri,
 Barba quibus mentum ſequipedalis obit:
 Grande ſuperciliis, & opaca fronte minentur:
 Non tuus umbrato tegmine candor eget.
 Plenos Socratico latices de fonte petiſti,
 Puraque Stagira flumina pota Tibi.
 Secta Sophistarum ſcriptis inimica vetuſtis,
 Barbara Philoſophum nec tibi turba placet.
 Crantora, Chrysippumque, & nomina magna Sophorum
 Subsequere, & nomen Fama loquetur anus.

Scriptum Groningæ à Tuo

GUILIELMO SNETLAGIO.